

4°
Philos.

1055

3

1055. v.
DISSE^RTATI^O
POLITICA,

DE
ELECTIONE
ET
SUCCESSIONE.

Quam
SUB PRÆSIDIO
Viri Nobilis atque Excellen-
tissimi,

DN. JOHANNIS GEILFUSI,
in Illustri ac Florentissima Eberhardina,
Professoris Philosophici ordinis Primarii, atque h. c.
Pro-Decani Spectatissimi, Præceptoris ac Fautoris sui
honoratissimi,

Publicæ ventilationi subjicit,


GEORGIVS ERENRICVS DE
BERNERDIN. IN PERN
THORN.

AD DIEM SEPTEMBR.

Tubingæ,
Typis & Formis KERNERIANIS,
Anno M. DC. LII.

*L. Georgius filius
Jornae.*





I. F.
THESES I.

SVmmam imperandi potesta-
tem, ordinariè duobus solere conferri mo-
dis, Electione nimirum & Successione
cum perclarum sit, idcirco de utroque
constituendi modo, animus est dissere-
re, ac consideranda sunt ea, quæ utriusque
sunt communia, tum vero quæ cuique sunt propria.

II.

Communia autem utriusque consideraturi, ad
quatuor præcipue respiciamus, 1. ad causas Efficientes,
2. ad Subjectum, seu Materiam, 3. ad Formam seu modum,
& denique 4. ad Finem.

III.

Causa alia prima est, alia secunda. *Principalis seu*
prima, omnium rerum ac creaturarum moderator
DEVS est, cuius luculentissimum testimonium D.
Paulus perhibet, scribens *Roman. 13. v. 1.* *Omnis ani-*
ma potestatibus supereminentibus subdita sit, non enim po-
testas est, nisi à DEO, quæ verò sunt Potestates à DEO ordi-
natae sunt. Et Christus ipse *Matth. 22. v. 21.* *Cæsari quæ*

Cæsar is sunt, & DEO que DEI sunt, dare demandavit. Nec quamvis omnium Dominus esset, dubitavit di-drachma pro se & Apostolis solvere ut proprio demonstraret exemplo ordinem hunc cui vestigia sol-vatur à DEO, institutum esse, Matth. cap. 17. v. ult.

IV.

Ficulneis quidem ac stramineis argumentis utun-tur *Anabaptista*, quibus Magistratum ex societate hu-mana proscriptum cupiunt, eumque in veteri tantum testamento locum habuisse in novo autem longè aliam Ecclesiæ rationem esse, ac proinde neminem Christianorum bona conscientia magistratus alicujus munus suscipere posse contendunt. Verum hos à tota recti judicii via aberrare, ex supra positis aliisque rationibus quamplurimis, videmus: Sublato enim magistratu tanta repente scelerum vis rerumque con-fusio invalesceret, quæ nullis modis aut repagulis coerceri possit; Et corruit populus, inquit Sapientissi-mus Regum Salomon Prov. II. v. 14. ubi nullus gubernator est; Suntq; homines sicut oves absque pastore, Num. 27. v. 17. Rectè igitur Cic. I. 3. de legibus sic scribit: Magistratu in civitate opus est, sine quorum prudentia & in-telligentia esse civitas non potest. Atque hinc evinci-tur quoque quam periculosa sit doctrina eorum qui Ecclesiæ ministros seculari potestati & omnibus civili-bus subtrahunt legibus. Quod fit in Romana Eccle-sia. Ut Anabaptista in defectu, ita hi in excessu peccant, & officium magistratus contra ejus naturam restrin-gunt.

V. Secun-

de Electione & Successione.

3

V.

Secunda seu particularis Causa est duplex. Prima est natura ipsa seu effectus naturalis. Ipsa enim multiplex rerum distinctio in omnibus mundi partibus hanc parandi & imperandi diversitatem arguit; bestiae enim secundum legem naturae parent homini, anima imperat corpori, Sol inter omnes planetas & stellas principatum obtinet, cur ergo non etiam homo homini imperare deberet: Siquidem sui natura animal politum est, ad societas aptum per rectam rationem & civilem vitam congruenter apparatum. Arist. 3. Pol. c. 2.

VI.

Altera causa est jus gentium. Cum enim homines hinc inde ferarum more habitassent, in montibus, agris, sylvis ac solitudinibus (ut in non solum Historici, sed & Oratores testantur,) nec omnia ad sustentationem necessaria haberent, indigentia impulsu, instar aquae confluerunt, ut ope mutua facilius ea consequerentur quibus indigebant; Et ita mutua inter homines nata officiorum communicatio, per quam sufficiens est ad bene vivendum.

VII.

Subjectum seu materia sunt Personae imperio praeficienda. Hinc duo consideranda habemus. 1. Sexum, 2. requisita seu proprietates. Ratione sexus ordinariè non nisi mas admitti debet. Hic queritur: An ullo jure mulieri possit committi imperium? In diversas partes hic abeunt Politici: Nobis videtur quod tutum aut utile imperio non sit foeminas ad rerum gubernacula ele-

A 3

vari.

vari. Si enim naturam consulere velimus, regnum mulieribus non deberi apparebit. Cum ad parendum nati videantur, non ad imperandum. Quæcunque enim ad imperandum requiruntur, natura iis denegavit, quæ vero ad parendum pertinent iis insevit. Et recte Paulus ad Tim. 2. v. 11. & seq. admonuit mulierem, ut discat cum silentio, & cum omni subjectione, nequaquam cum imperio. Et Esaias cap. 3. v. 12. Regni Chaldaici calamitatem propositurus, pueri, inquit, populi mei exactores sunt & mulieres dominantur eis. Nec insuper in muliere est prudentia, nec magnitudo animi, nec robur corporis, nec patientia laboris, nec constantia in adversis, nec placabilitas, nec silentium, quæ omnia tamen Reipubl. gerendæ maximopere sunt necessaria. Et licet interdum animosæ satis & virtuosæ sint mulieres, tales tamen esse nunquam creduntur, & ita in animis parentium contemptum contrahunt, qui plus ad destructionem imperii facit, quam authoritas ad conservationem.

VIII.

Requisita, imperantis personam respicientia; sunt vel interna, vel externa; Interna sunt moralia & naturalia; ut est primo forma præstantia, hæc enim magnam commendationem & admirationem amoremque subditis causat. Est & secundo doctrina & eruditio; cum enim à literis & prudentia sit & virtus, que licet originem sumat à natura, doctrina, tamen perficitur. Cic. pro Arch. Dubium idcirco non est quin earum cognitione opus habeat magistratus. Quem enim plura & meliora

de Electione & Successione.

7

meliora scire decet quam Principem & Magistratum, cuius doctrina omnibus subjectis est profutura. Veget. l. i. de 21. mihi: Tertium & quidem primarium requisitum imperantis est pietas. Hec enim ad omnia utilis est, habetque promissionem hujus & sequentis vita. 1. Tim. 4. & à Regibus quoque divino mandato exigitur Psal. 2. Et nunc Reges intelligite & servite Domino in Tremore & timore. Et Psal. 122. convenire jubentur cum populo ut serviant Domino. Falsa itaque & perniciosa est Machiavelli opinio, qui sufficere putabat, si pietatem & Religione Rex tantum simularet, Deus enim veram exigit pietatem non eam quæ intradentes nascitur & in posteriori gestu sita est, Deut. 6.

IX.

Quæritur hic Primo: num melius sit Principem esse simplicem quam callidum? sed nos absolutè loquendo neutram, h. e. neque simplicitatem, neque calliditatem requirimus, sed prudentiam, secundum quam in omnibus facilimè medianam tenere potest viam. Senfu vero comparato calliditatem simplicitati præferre malumus. Praxis enim ostendit illam principatu magis esse utilem quam hanc. Verum nos hic non more Machiavelliano, qui definit Politicum quod constet tantum ex fraude & astutia, hoc intellectum volumus,

X.

Quæritur II. Num videlicet Princeps optandus sit clementior an vero iustior? Et nostro iudicio magis Optandus est clementior, quia per clementiam Rex Subditorum favorem citius assequi posse videtur quam

Dissertatio Politica,

quam per severitatem. Clementia enim secundum Senecam i. de Clem. non tantum honestiores, sed tuiores præstat, ornamentumq; imperiorum est & certissima salus. Hinc maximoperè laudatur Titus Vespasianus Imperator ob suam clementiam, hic enim quia non facile quenquam tristem a se passus est discedere, amor & delicia generis humani dictus appellatusque fuit. Par. Verum per amorem subditorum erga Principem, intelligimus hic amorem bonorum, non malorum & improborum. Erga hos igitur severitate, erga illos vero clementia opus est Tac. Ann. II. Qui enim omnino irasci nolunt, sed in omnibus clementia laudem affectant, in idonei ad imperandum putantur. Arist. 4.. Eth. c. 5.

XI.

Forma consistit in ordinatione, que est legitima cum Majestate & Potestate gladio armata, constitutio ad defensionem bonorum, & vindictam malorum, secundum iustitia, & equitatis regulam: hæc si abest, societas potius per se dicenda est hominum conjuratio & confusio Reip. Magna siquidem regna, ait Augustinus, absque iustitia nihil aliud sunt quam latrocinia.

XII.

Quæstio hic oritur; *An nimirum potestas hec debet esse limitata, an vero absoluta?* & multum hac de quæstione disputant Politici: Nostra sententia hæc est, ut videlicet imperatoria illa potestas absoluta quidem sit quo ad leges civiles & caducarias, sed tamen restricta quo ad leges certas fundamentales.

XIII. Deni-

XIII.

Denique de *fine*; qui duplex est, unus respectu Dei, religionis nempe procuratio. Sine religione enim seu notitia & timore Dei, nulla inter homines coiri potest societas, nulla civitas extrui, nullum imperium conditi, multo minus servari diutius aut ab interitu vindicari potest. Nam si Deum qui omnia malefacta coram intuetur & ulciscitur omnino non esse credamus vel non metuamus, tunc sanè magistratus nec subditi ab ullis flagitiis aut sceleribus sibi temperabunt, sed audacter patrabunt, quæ celari posse confidunt; quam impietatem, iram divinam subsequi necessum est.

XIV.

Alter finis est respectu subditorum, nimirum *salus publica*. Optimus quilibet Princeps ante omnia commodum, securitatem & salutem subditorum suorum ante oculos habeat. Nam Rex, ait Xenoph. in mem. Socr. l. 3. non elititur, ut se se molliter curet, sed ut per ipsum it, qui eligerunt bene beatèque agant; Rex enim propter populum, non populus propter Regem.

XV.

Hactenus egimus de communibus utriusque constitutionis, Electionis scilicet & Successionis, ad propria cujusque progressum faciemus; & primum quidem nunc Electio occurrit.

XVI.

Definitur *Electio*, quod sit actus publicus quo summa potestas secundum leges & consuetudines in Repub. receptoras cuidam confertur.

B

XVII. Hic

XVII.

Hic quæritur apud Politicos, utrum eligendus sit
civis an peregrinus? Hancad quæstionem ita responderet
Aristoteles s. Pol. c. 10. Peregrinos civibus preferre, ad
mensam vocare, & Reip. custodes efficere, Tyrannorum est
& non Regum: quorum custodia consistit è civibus, quod
& aliis firmissimis argumentis probatur. Hi enim
Rempublicam non noscunt, neque perspectos habent ci-
vium mores; quod tamen caput est Reip. Cic. 2. de
opt. orat. neque 11. in peregrino talis esse potest amor quam
in civibus; qui & amore innataque naturali ad invicem
obligatione & moribus omnique animi & corporis
constitutione convenient. Et videmus insuper quod
receptis peregrinis antiqui mores plerumque in no-
vos ac peregrinos commutentur, cum tamen nil ci-
tius seditionem pariat, quam legum morumque mu-
tatio; consultius itaque est cives ad regias efferre di-
gnitates, quam peregrinos.

XVIII.

Verum, quamvis longe satis pericolosum sit pe-
regrinis imperii fasces committere, interim tamen ob-
speciales & particulares Rerump. conditiones & ne-
cessitates, sape utilius est peregrinum habere Princi-
pem quam civem: accidit enim interdum ut cives ido-
nei non inveniantur, peregrini virtutibus cives longè
antecellant; autoritateque & prudentia sua Reipub.
magnopräsidio futuri sint.

XIX.

In omni autem electione ad duo respiciendum.
1. vide-

1. videlicet ad ejus *jus*, 2. ad *modum*. *Jus* vel *competit* omnibus vel saltem aliquibus. Ut vero *electio* toti committatur populo non expedit, siquidem *non omnes in regno regias virtutes intelligunt*, *Cell.lib.2. cap.3.* Consultius itaque ut quibusdam tantum *jus* hoc eligendi *competat*, ut in imperio nostro hocce Romano-Germanico, ubi potestas est penes *Electores*, qui, dum quis eligendus, sancte jurant se neminem eligere velle. nisi quem dignissimum censuerint, nec quicquam ullius vel pacti, vel mercedis, vel largitionis, vel pollicitationis causa facturos esse. *Sleid. l. i.*

XX.

Modus iterum duplex est, eliguntur enim vel per suffragia, vel per sortem. Verum, melius per suffragia quem quam per sortem eligere, esse videtur. *Suffragia enim optimum plerunque inveniunt*, *Tac. l. i.* *Fortuna a verò cæca est & nihil cernit*, quo se applicet *l. 2.* & ea tantum sorti committenda sunt, ratione quæ comprehendi ac confici non possunt. *Cas. l. 4. cap. 15.* Pontanus ait: *Tentare fortunam, ubi locus consilio, temerarium est.* Sors igitur nullo modo admittatur, nisi duo aut plures, in omnibus, quæ in Imperatore desiderari solent, pares inventiantur.

XXI.

Subjectum seu materia Electionis sunt Personæ eligendæ. Estque ea vel libera vel *restricta*; libera est si licet eligere quoslibet vel cives vel peregrinos, nobiles vel ignobiles, quem morem etiam observarunt Romani in eligendo Imperatore. *Restricta est, quæ*

adstricta ad certas familias seu nationes. Ita demandatum est à Deo populo Israëlitico ne sibi Regem alium quam è gente sua eligerent, Deut. 17. Et in Imperio nostro Romano-Germanico non nisi Germanus ad Imperium evichi potest. Videatur Aurea Bulla Carol. IV.

XXII.

Commodè hic quæritur, An mulier eligenda potius quam Princeps extraneus? Et ante diximus quod mulier ordinariè non sit admittenda ad imperium, unde videtur quod in hoc casu extraneus sit præferendus mulieri. Vrgent tamen quandoque graves causæ, cur extraneus sit omnino excludendus, ac tunc si mulier Heroina virtutibus antecedat viros videtur eam ad imperium posse admitti. Sanè Debora omnibus viris præalata fuit, Iudic. c. 4.

XXIII.

In Electione imprimis respicienda sunt bona animi. Primum enim optimus Princeps omni virtute non simulata, sed vera præditus sit, ius enim imperandi soli virtuti maximè competere ait Philosophus. 3. Pol. c. 8. & laudanda est Respub. in qua malis imperandi facultas non datur, inquit Pittacus apud Stobæum. serm. 41. Prudentia deinde quoque requiritur, qua honesta & turpia, utilia & inutilia, expertenda vel fugienda, cum intelligat, tūm discernere queat. Requiritur tertio Eloquenteria. Princeps n. qui cum prudentia conjunxerit eloquentiam subditos facilimè in officio continere, quo placet ducere, & quo jubet flestere potest; quod proprium munus est Magisterii Politici. Requiruntur

tur & virtutes aliae, quas partim jam supra recensuimus, partim brevitatis studio omisimus.

XXIV.

Nec verò in eligendo Principe negligenda sunt bona corporis; & primò quidem respiciendum est, ut nullus admittatur, qui justam suam nondum adeptus est atatem; maxima enim Respub. per adolescentes labefactata sunt, sed per senes restituta. Cic. de Senect. & Eccles. c. 10. *Væ terra cuius Rex puer est, & cuius Principes manè surgunt ad comedendum.* Secundò respicienda quoque pulchritudo seu forma præstantia, hæc enim ut supra monuimus populo principem non mediocriter commendat.

XXV.

Bona denique etiam externa consideranda veniunt. Ut sunt 1. Facultates, melius esse videtur eligere Principem divitem quam pauperem. *Grave onus est Reipub. paupertas,* ait Plut. Et periculosum animal Rex pauper. Cassiod. Facit enim paupertas, ut accipientur munera, quæ excoecant sapientum oculos & justorum verba pervertunt. Deuter. 16. Considerari 2. debet Ortus, stultum enim esset ex peregrino aliquo & procul remoto loco Principem vocare, cuitamen ignoti essent eorum mores ac leges. 3. Respiciendum est, ut ex illustri aliqua & præclara Familia natus sit.

XXVI.

Satis de Electione progrediamur ad Successionem. Quia Principi demortuo succedit alius jure sanguinis. Quæritur,

ritur, *An Successio præferenda Electioni?* Et multa
hac de quæstione disceptata reperiuntur à gravissi-
mis viris utramque in partem. Nos verò proba-
mus potissimum Electionem, quia per Elec-
tionem Principes semper haberi possunt optimi &
ad imperandum peritissimi cum è contra Successio
sæpissimè offerat malum & ineptum. Hinc Tac. l. 2.
ait: *Optimum quenque invenire Electionem.* Plus etiam
benevolentia est inter Principes & Subditos, amant
enim Eligentes Electum de quo spem jam concepere
optimam; amat & Electus Eligentes à quibus magno
affectus est beneficio. Si verò deteriorem elegerint
Principem, Electores potestatem habent eundem ite-
rum abdicandi; sicuti VVenceslaum & Adolphum deje-
cerunt ab imperio Germanico. *Cuß. in Cæs. & Mie-
zeslaum III.* à Regno Poloniæ Crom. l. 6. quam pote-
statem non ita plenam habent in Successione. Hinc
Alexander Magnus in agone rogatus quem sibi suc-
cessorem vellet non fratrem Arideum, non Roxanem
prægnantem, nec Herculem filium, sed dignissimum
succedere jussit *Iust. l. 12. c. 15.* Et Lysander Lacedæmo-
niis persuadere voluit ne proximum, sed optimum
pro Rege acciperent.

XXVII.

Quæritur 2. *An Regnum dividendum?* Nos nega-
mus, quia plerumque oriri solent discordiæ, & sine
æmulatione haud vivere possunt, pari qui pollent po-
testate: nec quoque ex resubditorum, ut duobus ser-
vire cogantur Dominis, siquidem

Nemo

Nemo potest Dominis aequè servire duobus.

Hinc cum Lydis *Craesus* imperaret, & in imperio sibi adjunxisset, fratrem, unus ex Lydis accedens hæc in verba erupit, omnium in terra bonorum, ò Rex auctor est Sol, nec quicquam extaret in terra Sole non illustrante: ac si gemini Soles forent, periculum immineret, ne mox omnia conflagrarent. Ita & Regem unum accipiunt quidem Lydæ, & servatorem esse credunt; duos verò similitudinare non possunt. Hinc Magnæ Britanniæ Rex *Iacobus ad submovendam discordiarum emulationumque semina, non solum duo regna Angliae & Scotia, uno magnæ Britanniæ nomine, & iisdem legibus in unum regnum rededit,* (*vide D. Besold. Disp. 1. thes. 41. class. 1.*) verum etiam filio suo, ne dividat, sed ea unus unita reservet, nec fratres sibi pares, sed inferiores & subditos ferat, demandavit.

XXVIII.

Quæritur tertio, *Quis debeat succedere?* Et in regno tam legitimo quam hæreditario jure ac more gentium constitutum est, ut etiam ex pluribus filiis primogenitus succedat. Quid observatum fuit etiani in Regno Judaico. Nam *2. Paralip. c. 21.* scribitur: Regnum tradidit Josaphat filio suo Joram, quod esset primogenitus. Et apud Ægyptios idem in usu fuisse elicetur ex *Exod. c. 11.* ubi dicitur: Occidam omne primogenitum, à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus. Hodie apud plerasque Gentes jus hoc observari historiæ docent. De Tartaris *Pant. in hist. Tart.*

de Po-

de Polon. Michov. l. 1. Chron. cap. 4. de Gallis. Petr. Jacob.
intit. de succēs. reg. Franc. alii de aliis.

XXIX.

Quæritur denique IV. An in Electione ad dotes animi & corporis respiciendum. Et affirm. Ad dotes animi ideo respiciendum. Quia sicuti maculae & cicatrices in facie plus de decoris afferunt & magis deformant hominem, ita magis sunt perspicua Principum vitia que nullo modo latere possunt. Plutarch. Maximoperè itaque laudatur Constantini Magni pietas. Justitia Titi Vespasiani, Sapientia Salomonis, Eloquentia Periclis, aliorumq; plurimorum virtutes. Ad dotes corporis respiciendum; quia pulchritudo corporis, animi sæpe pulchritudinem, deformitas vero deformitatem arguit: neque parum gratiæ & autoritatis conciliat iis, quibus obtigit. Hinc laudatur propter proceritatem corporis Saul. 1. Sam. 9. & David. ibid. 16.

XXX.

In Imperium autem Reges & Principes succidunt vel ab intestato, ut quando legitimus jure sanguinis hæres succedit in locum demortui. Sicuti hodie adhuc observatur in plurimis regnis ac Principatibus. Vel fit ex testamento, ut quando is qui per successionem plenum jus disponendi de suo regno habet, alium hæredem regni instituit. Ita Attalus Rex Pergami populum Romanum imperii sui hæredem scripsit Iust. l. 36. alia exempla quamplurima vid. apud Tholos. l. 7. cap. 12.

XXXI. Con-

XXXI.

Consequens est inaugratio, qua nihil aliud est, quam commissio & traditio imperii solemnis, qua in possessionem inducitur & mittitur Rex novus. Phil. Hænon. disp. Pol. 3. thes. 36. Hæc alia est in Electione, cum nimirum novus electus princeps in publico sistitur & proclamatur, cum insignia regia ei traduntur, sacris initiatur, publicè in templum deductus; & cives vel optimates eidem præstant juramentum subjectionis. Alio vero est in Successione, ut cum Princeps in publico sistitur, ac in solium collocatur, populus vero assentitur successioni votoque & scitu eorum in Imperium accipitur.

XXXII.

Principatus Electivus. Interregnum, Successorius vero Tutelam nonnunquam habet. Interregnum quo brevius eo melius existit. Prudenter Livia itaque fecit, quod Augusto exspirante acribus custodiis domum & vias seplit, lætosque interdum nuntios vulgabat, donec provisus quæ tempus monebat, simul excelsisse Augustum, & rerum potiri Tiberium Neronem, fama eadem tulit. Tac. 1. annal. Hac quoque de causa festinatum est ab Alexandro Severo, Augusti nomine recepto, ut is omnia simul acciperet, quasi verus Imperator. Lamprid.

XXXIII.

In Principatu Successorio Curatoribus seu Tutoribus tum opus est, si annis minor est Princeps, si vero quicquam in Politica administratione diligentiam & curam meretur, Tutela certè Regiorum & Illustrium

strium pupillorum, primum sibi vindicat locum. Non tantum ut ipsi adversus ambitionem & injuriam aliorum, iura sua sarta testaque conserventur, sed etiam ut odia emulationes quæ inter agnatos & hujusmodi curatelas sèpè nasci solent, cum extremo subditorum damno, legitimis repagulis & ordinum auctoritatetanquam freno quodam coercentur. *Betsius c. 7. fol. 201.* Atque tantum de hisce.

I.

Ad Generosum,

Dn. Defensorem hujus Disputationis de
Electione & Successione, Schedion
protrepticon.

Seu Sors nascendi, seu sancta Electio sceptrum
Tradat, in ambabus credimus esse Deum.
Lis satis ampla quidem, priva major q. Palestra,
Nec Stagirita fors subitura forum.
Laus tamen ista tua est, quod ab his ordiris Agonem,
Vnde alii pugna ferre Brabéa queant.
Has si primicias videat Respublica, dicet,
Vah speranda olim quam mihi Messis erit!

Henricus Schmidius.D.

Ad

II.

Ad Nobiliſſ. Dn. Respondentem.

Svbvolat ut volucris, Jovis armiger, ardua cœlo,
Et paritate ferit sidera summa pedum;
Inclita ſic celum te tollit ad æthera virtus,
Virtus perpetuis nobilitanda cedris.

Joh. Martinus Rauscher.

III.

Lſt ein Grosses zwar von Ahnen Ruhm erben/
Doch ist ein mehrers dir Ihm ſelbſt ſelbst Lob ers
werben/
Durch eigner Ewigend. Prob. Dann ſirbt der Ah
nen Preis/
So wird Ihr Nahm erweckt durch deiner Ewigend
Fleiß.
Gar recht! Herr Bernerdin/ hattu dir vorgenommen/
Mit aignem Lob und Ehr dein Ahnen beyzukommen.
Du dachtest bey dir ſelbst: Es iſt ein grotte Z'er
Ereben Ahnen Ruhm; doch gehet dieses für/
Wann ich mir ſelbst erwähl/ was mich noch wird er
heben/
Mir kan die Ewigend ſelbst Helm/ Schild und Wappen
geben.

E ii

Wol!

Wol! Also wird erhebt dein Adelicher Stamm;
Dich zierte der Ahnen Ruhm / und auch dein aignier
Nahm.

Zu sonderbarer Freundschafts-Bereitung
glückwünschend auffgesetzt

von

Sigmund Adam von Glosen
zu Haydenburg.

IV.

D*ivitiis animosa suis & mascula virtus*
Te Decus affectat amplificare suum.
Te Genus extollit, sed nunc magis evehit illa,
Es pariter proavis Nobilis atque animo.

Invitā Minervā, at non invitā obser-
vantia posuit

M. N A R C I S S U S R A U N E R, Aug. V.
SS. Theol. Stud.

F I N I S.

Univ. Bibl.
München